

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS,

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

CONSULTORIS REGII,

ET IN TAURINENSI ATHENÆO

DECRETALIUM PROFESSORIS

COMMENTARIA

IN FUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM.

TOMUS PRIMUS.

Ex libris S. P. M. Com. Hof. M.



MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI DE URRUTIA.

ANNO MDCCXC.

Prostant apud Viduam Bernardi Alverà, & Filios, in via vulgò
Carrera de S. Gerónimo.

a. Donato Ferris Orzeca

IN UNIVERSUM OPUS

PRÆFATIO.

CUM aliquando respicerem ad antiquissimam, qualis erat ab ipsa origine sui, sacrae prudentiæ disciplinam, statim invidendum putavi priscorum hominum felicitati, dum olim populo Deo fideli vix in familias, non in civitates, ditionesve tributo, & morum, & indolis similitudine, ipsius etiam linguæ societate conjunctissimo, nemine aut Historicorum per varia sæcula, perque diversas ut plurimum vias vagantium, aut Legumlatorum, sive Interpretum, sententia, & opinione difformium lætione defatigando, singula certis rationibus vel ipsa sola & quidem simplici natura duce, aut definiuntur illico, aut si qua dubitationem adferrent, levissimo planè negotio dirimerentur; hodie autem ad doctrinam illam adsequendam vix ulla hominum provectissimorum ætas sufficiat, qua fastidiosissimo linguarum, nec tamen omnium celebriorum cultu, ab ipsamet infantia suscepto, nusquam conficiendo curriculo, qua in variis Provinciæ, Nationumve consuetudinibus observandis, qua in addiscendis Legumlatorum libris numero plurimis, sententia obscuris, collatione dissimilibus, utinam nunquam contrariis, qua in pervolvendis Collectorum codicibus, Historicorum monumentis, Interpretum commentariis, in quibus cum majora deberent inveniri subsidia, gravissima potius errandi pericula præsertim tyronibus præcreantur. Pandatur, amabo, juris Canonici bibliotheca. Proh immanem librorum molem, ac numerum evolvendum! Quæ assidue in Scholis, & Foro tractantur Gregorii IX., sequentiumque Maximorum Pontificum decretales, juncto Gratiani decreto; acta Concilii Tridentini, in quibus diutissime versandum est, vix inter tot, tantosque Codices dixeris comparare. En in primis ingentem Synodorum congeriem à vetustissimis ad hæc usque sæcula apud Merlinum, Crabbeum, Surium, Binium, Labbeum, Cossartium, Baluzium, Harduinum, Sirmondum, quam Spicilegiis, Anecdotis, Supplementis, Miscellaneis, vel novis in dies locupletioribus factis editionibus, Dacherius, Holstenius, Pezii, iterum Baluzius, Mansius, Martene, Durand, Lunigius, Mabillonius, Co-

IN PRIMUM, ET SECUNDUM

GREGORIANARUM DECRETALIU LIBRUM

COMMENTARIA,

SEU

*DE POTIORIBUS ECCLESIAE DIGNITATIBUS, ET OFFICIIS,
 æque Scholarum disputationibus, ac Fori usibus
 accommodata*

TRACTATIO.

QUICUMQUE scripserunt, Raymundum Pennafortensem in Decretalium collectione ex mandato Gregorii IX. adornanda proposuisse sibi imitandam Triboniani industriam, ne dixerim gloriam æmulandum, in componendo Codice Justiniano; id potissimum facile demonstrare possent in conspectu primi, & secundi earumdem Decretalium libri. A titulo *De summa Trinitate, & Fide Catholica* utraque collectio exordium ducit, & quando in prioribus libellis Tribonianus primum de variis Romanorum dignitatibus, & officiis, deinde de Judiciis editas constitutiones exposuit, eadem argumenta tractavit in primis duobus libellis Raymundus, æquabiliter tamen, ut intra juris Ecclesiastici metam se, uti decebat, contineret; quamquam & ibidem plura recensere debuerit etiam Romano Imperatorum juri communia, quæque non alia ratione ecclesiastici juris dici possunt, quam quod fuerint jure ecclesiastico recepta, ac confirmata. Hæc mihi causa est, quare primum, & secundum Decretalium librum interpretaturus, adhuc intra angustiores fines verba, sententiasque coerceram, ne, si singula evolvere, atque illustrare velim, latius, quam meum propositum postulet, videar evagari. Itaque cum præcipuus Gregorii IX. finis, uti illicò utrumque librum vel obiter evolvantibus patet, in eo consistat, ut definiatur, quinam sint varii potestatis ecclesiasticæ ordines, & gradus, item jurisdictionis per singulos ordines explicandæ modi, ac rationes, tractationem inscripsi de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis, quam ut in metho-